

Die Urkunden Karls des Großen, 202

In nomine patris et filii et spiritus sancti amen. Karolus serenissimus augustus a deo coronatus magnus pacificus imperator Romanum gubernans imperium, qui et per misericordiam dei rex Francorum et Longobardorum. Si petitionibus sacerdotum vel servorum dei, in quo nostris auribus patefecerint, libenter obaudimus et eas ad effectum perducimus, hoc nobis procul dubio ad aeternam beatitudinem pertinere confidimus. Igitur notum sit omnium fidelium magnitudini praesentium scilicet et futurorum, quia dilectissimus filius noster Pipinus rex Longobardorum ad petitionem viri venerabilis Petri sancte Cominsium urbis ecclesiae [episcopi] serenitati nostrae petuit, ut omnes ecclesias vel res ad ipsum sanctum locum pertinentes, quascumque nunc tempore cum [equitatis] ordine iuste et rationabiliter possidere videtur, per nostrum auctoritatis preceptum inibi confirmare deberemus et specialiter tholoneum de mercato et gegis cum ipso loco et Berizonam plebem, comitatum, districtum et ipsum portum et comitatum Clavenne et Clusas et pontem iuris nostri Clavenne clericis Cumanis in canonicalem usum plenissima deliberatione donare et confirmare deberemus. Cuius petitionem denegare noluimus, sed pro eterna remuneratione sic in omnibus concessisse vel confirmasse cognoscite. Precipientes ergo iubemus, quod perpetualiter circa memoratum sanctum locum mansurum esse volumus, ut nullus quislibet de fidelibus nostris memorato Petro episcopo aut successoribus suis de suprascriptis ecclesiis vel rebus inibi iuste et rationabiliter pertinentibus inquietare aut calumpniam generare nec aliquid contra rationis ordinem [abstrahere] aut minuare neque de suprascriptis rebus quicquam auferre quoque tempore presumatur, sed per nostrum serenitatis atque confirmationis preceptum ad ipsum sanctum locum in elemosina nostra simulque Pipini gloriosi regis et filii nostri perpetualiter proficiant in augmentis. Et ut hec auctoritas firmior habeatur et diuturnis temporibus melius conservetur, manu propria subter firmavimus et de anulo nostro sigillari iussimus.

Signum Karoli (M.) piissimi ac serenissimi imperatoris.

Data quinto decimo kal. decembris anno tertio Christo propicio imperii nostri et tricesimo sexto regni nostri in Francia, inductione undecima; actum Reguntiburg palatio publico; in dei nomine feliciter amen.